

Bibliothèque numérique

medic@

**Pujo, Pierre - candidat / Paulet,
Jean-Jacques - président / Bouvart,
Michel-Philippe. - An perspirationi &
sudori caeterae excretionis vicariae ?**

1780.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°52***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé (Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0052

174 C 52
DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCAE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA*,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-sexâ mensis
Novembris, anno Domini M. DCC. LXXX.

M^o. JOANNE - JACOBO PAULET,
Doctore Medico, Præsidente.

An perspirationi & sudori cætera excretiones vicariæ?

I.

CORPORIS involucrum cutis est. Hæc autem constat epidermide, corpore reticulari, cute propriè dictâ. Epidermis squamulis lamellisque coherentibus instructa, ex ductuum excretorium, vel papillarum nervearum reflexis finibus, vel ex utrorumque simul constat. Creberrimis pertunditur foraminibus; plicis tum amplioribus, ut in volis manuum plantisque pedum, tum minoribus, regulari fere ubique tractu excurrentibus exaratur. Cuticulæ, nexu satis firmo, hæret corpus reticulare, exilibus textum fibrillis, in sensû exquisitoris partibus, apicibus videlicet digitorum & linguâ, maximè conspicuum. Foraminibus quoque pervium est retis in modum factis, quibus pilos transmittit, cutisque nerveas papillas, totidem quasi retinaculis, coercet. Corpori reticulari cutis subjacet, inæqualiter, ut duæ superiores membranæ, diversis in locis crassa epidermidisque instar variis sulcata plicis. Intricatissimo fibrarum tendinearum plexu deprehenditur compacta sebaceis & miliaribus respersa glandulis. Illam numerosissimi perreptant vasorum omnis generis furculi; horridulam quasi reddunt, in linguâ præsertim & extremis digitis, maximè spectabiles nerveæ papillæ; actis aliquando in subjectam adipem radicibus, pili perforant; meabilem faciunt numerosa adeò diversæ magnitudinis foramina, ut, sub uno sabuli grano, 125000 latitare posse affirmaverit Leeuwenhoek. Per ea transpirationis & sudoris erumpit, præparationis gradu diversa, materia. Hinc perspirare & sudare perinde non est. Sudor cruditatis, non tamen, etiam in statu sano, spernendus index: perspiratio tritus conamen ultimum. Utriusque materiam constituit sanguinis aquosa pars, Hippocrati τρεφὺς ὀχρῖμα, quæ chylo primùm immixta, cum partes alibiles ubique deportaverit, partibus post nutritionem superfluis, à sanguine per varias portas eliminandis, iterum vehiculo est. Hæc quidem materia, non per glandulas Stenonis aut Malpighii; sed per arteriarum lymphaticarum, cutem undique perreptantium, ramulos secernitur. Huc nempe allabentis sanguinis fibrosa globosaque pars, ut quæ crassiores, exilissimas canaliculorum diametros subire nesciunt; sed in venas resumunt, dum pars tenuior, per sitos à latere ductus excretorios, abripi se patitur, extra corpus; modò sub hæc, modò sub illâ specie eliminanda. Materiæ si copia justo major affluit, ut fit post lautiores epulas, vel fatiscunt vasorum fibræ, quod post immodicum laborem solet, sub guttularum sensibilibus

* Authore M. MICHAËLE PHILIPPO BOUVART, 1737.

formâ exprimitur, & sudor est; si verò sua stat vasis elastica *diffilitas*, moderataque adest elaborandi succi cōpia, tunc tenuis halitus visum fugientis speciem induit, & *perspiratorium* nuncupatur effluvium: Unam hanc *vacuationem* cæteris simul sumptis superiorem, ratione assumptorum, esse ut 5 ad 8, *Sanctorianis*, sub cœlo Italico habitis, experimentis constat. Ipsam autem, ut & sudorem, aliis excretionibus pensari quis dubitabit, si illæ in tantum augeantur, in quantum sudori aut *perspirationi* detrahatur?

I I.

QUOMODO se habeat utraque cutis excretio cognovisse parum est, nisi ad summas earum respexeris utilitates, ex œconomiae animalis legibus repetendas. *Elasticis* conflatamur partibus. Solidas alias, alias fluidas nuncupant. Alterno nixu sic agunt, ut utrasque non iniquo Marte concurrere dixeris. Sic vita perpetua, geminum inter elaterium, lucta est, cujus in æqualitate sanitas cessatione mors. Vivere igitur absque motu haud licet, nec moveri datur quin aliquid à nobis secedat. Hinc mortis brevi causa fieret, qui vitæ fons est, motus, nisi hujus perennitate detritis partibus, per nutritionem, fuisset prospectum. Hæc autem quò felicius absolveretur, patere debuerant fœres, per quas, si quid à solidis abrafum, si quid in fluidis vel superflui, vel ad nutriendum inhabilis occurreret, illud omne, excretum à corpore, recentioribus alibilibusque succis melius occupandum relinqueret spatium. Non in alium sanè finem hiant cutis spiracula, canalesque *excretorii* quorum ope fluit utraque excretio. Si debito tempore & modo procedant, benè est. Hoc pacto sanguis ab inutilibus purgatur recrementis, unde fluidior factus, leviori, per arterias & venas, itque reditque cursu. Inutilibus expedita succis vasa alacrius operi vacant: felicior fit humorum, per varia incernicula, derivatio. Quin & ipsa mens, aliàs quidquid errat corpus misère plecti solita, aptior evadit ad operandum. Salutifera verò minuuntur effluvia, nec ipsorum aliunde pensetur defectus omnia in pejus ruere. Impurus, nec benè subactus, sanguinem inficit latex; ideirco malè torpet iners corpus, iniquo pondere solidorum vis oppressa gemit; hinc succorum, variis in locis, *stases*, *coagula*, *decubitus*, mille morborum semina. At, at solamne per cutem, morâ suâ, nocituri humoris utilis jactura fieret, nec ullis aliis organis, tot commoda præstare, tot ærumnas antevertere concessum foret?

I I I.

MINIME. Non tritam semper calcat natura viam. Per insolitum aliquando trami-tem molitur iter. Illam altius scrutare; pecudum reclusis pectoribus inhians exta spirantia consule. Odore teste, iudicibus nonnunquam oculis, ex calentibus visceribus effertur, ab effluvio *perspiratorio* quàm parum abludens, vapor! Ex quolibet viscere exprimi potest sudori genuino proximus latex. At, ne latius excurramus, pulmonem imprimis respice quàm egregiè cutis emunctoria imitantem! Arteriis *excreticibus*, totus quantus est, mirum in modum dispergitur, extremis ostiolis, vel poris lateralibus in ejus cavo undique apertis. Vascula hæc, non secus ac *cutanea*, aquosum segregant laticem partibus à nutritione superfluis onustum, segregando terunt, tritum in vesiculas eructant. Humor ille, si suum stet pulmonariis fibris robur, ultimum nactus tenuitatis gradum, per os expiratione pellitur, æstate præsertim, oculorum aciem ludens. Quale *perspirationis* insensilis exemplar! Si contra liquoris ejusdem quasi diluvio merguntur vascula, horum diductis & madentibus fibris minuitur tonus; inde minus tritum, molliùsque quàm par est verberatum liquidum effluit intra vesiculas, ibique guttulæ unita guttula in sputum coit. Quid quæso illud est nisi sudor est, aut sudori proximum? Neque id soli tribuas pulmoni; suus etiam emittitur ventriculo vapor & nos *gastricus*, sui intestinorum opplent latebras fumi subriles, sui eas, ploratu jugi, madefaciunt mucosi latices. Quidquid ex renum colis in pelvim decidit, sive id sub

3

tenuis halitus specie clam exiliat, sive stillando in aquæ rivulos confluat, vel à *perspiratione*, vel à sudore quid discrepat? Urinam & sudorem, trutinante quasi linguâ, confer & explora: liquorem utrumque principiis ex iisdem conflatum dicas, saporem adeò similem, falsum, *subracem suboleosum* exhibent. Nullâ ferè non in parte totidem indubitata reperies *perspirationis* aut sudoris pignora. Percurre mesenterium, pleuram, pericardium, oris glandulas, membranam *pituitariam*, partesque universas. Nullibi non aderunt vasa *excretoria*, nullibi non sanguis, nullibi non tritus jugis & pressio. Ubicumque succi effocti & inutiles ex communi sanguinis fluente eliminandi: ubicumque igitur sudoris & *perspirationis* imagines. Nec sibi solis adeò ex dictis organis pleraque succis inutilibus excernendis allaborant, quin *perspirationis* utriusque tardatæ vicibus supplendis pares sint, & tantò majorem materiæ hujusce quantitatem eliminent, quanto minorem cutis emittit.

IV.

HÆC vita quam agimus veluti mare est in quo, si benè calculum ponas, ubique naufragium imminet. Sua cuique ætati, sexui, temperamento, conditioni, lethifera pestis. At commune omnibus ab inhibita *perspiratione* terriculum. Vel levissimo frigidioris auræ in minimam partem afflatu stringuntur cutis ostia, strictæ vicinas, vicinæ proximas ad se trahunt partes; sic tota tandem cutis in consensum vocatur. Hinc nulli certè sua per diem solidum staret sanitas, nulli superfluis intra vasa impune cohiberetur humor, nisi à *peripheriâ* ad centrum pulsus per interiora sibi quæreretur effugium. Quomodo verò se res habeat, tene. Arctatis quâvis de causâ cutis ostiolis, immunitisque vasculorum huc tendentium diametris, qui appellit humor, objecto repagulo, hæret obicem pone sequenti positurus; novissimus in hunc allidit, qui veluti refluus, quâ minùs resistitur, ut in physicis æquum est, quærit iter. Idcirco ad internas partes blando tepentes calore, cute constrictâ molliores, ceu patentiori receptus alveo, vertitur, quâque data porta effluit. Non aliâ de causâ, instante hyeme, materiæ per cutem *exhalabilis* pars in pulmonem repellitur. Indè, depresso thorace, efflatur sub fumosi vaporis formâ oculis idèò obvii, quod effluvia densata sint, & per viscus unicum exeat ea materiæ pars, quæ, si per cutem univariam eliminaretur, oculis fuscum faceret. Senes minùs *perspirare* arguit iners corii ariditas, furfuraceaque ejusdem desquamatio, quæ nihil est nisi *perspirationis* materia extremis morata canaliculis. Defectum hunc in illis pensant major, quàm in junioribus, muci per nares, per oculos lacrymarum, salivæ per os, per vesicam urinæ, fæcum per intestina excretio. Phlegmaticis, præ molliori partium solidarum structurâ, minùs *perspirantibus*, uberior undique pituitæ proventus. Biliosis contraria evenire dubitat nemo. His ut partium est deurens siccitas flammeaque sanguinis *crasis*, ita inexpletus edendi amor: ut fibra agilior fluida crebrioribus quatit ictibus & comminuit, ita copiosa *perspiratio*, ita sudor rarus, ita urinæ fluxus paucus & infrequens, quidquid aluo dejicitur, id pigrè parcèque admodum. Quid verbis opus? Cutis densitas, alvi laxitas & vice versâ. Frigore externo corrugatâ cute, diarrhœâ se correptum quis pluries non est expertus? Cui, ob sudorem suppressum, solitò copiosius urina non fluxit? His de rationibus quibusdam fidei ore & naribus vivere vix datum est. Sic quas tandem, propter delicatulum corporis habitum, minùs *perspirabiles* fecit natura feminas, fluxui menstruo obnoxias reddidit. Hinc diuturnâ meditatione & experientiâ nixus Sanctorius, *perspiratione* imminutâ, sensibiles augeri excretiones pronuntiavit, nisi fortè accadat cachexia vel febris.

V.

PERSPIRATIONIS igitur & sudoris materiam aliquando per inassueta ferri iucernicula dubitet nemo: neve quis objiciat, alia esse *perspirationis* & sudoris,

alia cæterarum excretionum organa ; unde , pro structuræ varietate , dissimiles debeant fecernere succos ex sanguine. Sic , inquires , quæ cola urinam , non item sudorem segregare apta nata sunt. Esto , à sudore discrepet urina. At tantumne est discrepantia ? Oleum , sales , terram crassiores continet urina , tenuiores sudor. Cum igitur renes secernant liquidum crassioribus fœtum partibus , quid mirum si tenuioribus ? Verum refert , pergis , quâ viâ natura nocituros humores pellat , *vacuationesque* omnes , ex Hippocrate , fieri debent per loca convenientia. Quis negat ? At quid naturæ convenientius est , quid familiare magis , quam ut oclusâ hac viâ , per illam abjiciendis humoribus pareret exitum ? Sic febres easdem vel sudoribus copiosis , vel largo alvi profluvio , æquali tamem cum ægri bono , judicat. Sed ex hac ipsa , instas , crisiū diversitate , diversa morbificæ materiæ indoles , diversum se prodit morbi genium. Rem acu non tangis , petito ex *syphilide* exemplo , melius intelligendam. Unam eandemque esse , in omnibus , Veneri *miasmatis* conditionem diffiteretur nemo. Per diversas tamen portas , unâ cum humore infecto , venenum hoc amandari posse non dubium. Imò quidam hac lue inficiuntur , quibus , ob fœda oris ulcera , aut erosa carie palati ossa , *ptyalismum* immoderatum cedere piaculum foret. In tali rerum statu , etiam si natura morbi solutionem per oris glandulas molliatur , materiam tamen per cutem , alvum , vesicam , datâ operâ , nec sine successu , deturbat prudens Medici solertia. Hinc patet unum eundemque liquorem , lympham puta veneno infectam , per diversas admodum vias colari posse. At perspiratio & sudor nobiliores in partes conversæ morbis sæpe gravissimis causam præbent : in pulmonem catarrho , in membranâ *pituitariam coryzæ* , in intestina diarrhœæ , in renes *nephritidi*. Qui mirum ? Sed est modus in rebus ; si copiosius irrumpat materia , si ipsius diutius duret affluxus , concedimus ; si minus , adeò non morbi periculum affert , ut contra prævertat. Ex his concludimus :

Ergo perspirationi & sudori cætera excretiones vicariæ.

DOMINI DOCTORES DIPUTATURI.

M. Carolus-Jacobus-Ludovicus COQUEREAU, Serenissimi Condæ Principis Medicus or- dinarius.	M. Joannes-Baptista-Eugenia DUMANGIN, utriusque Phar- maciæ Professor designatus.	M. Petrus DE LALOUETTE, Regii Ordinis Eques.
M. Franciscus-Maria LE MOINE.	M. Thomas LEVACHER DE LA FEUTRE, antiquæ Facultatis Decanus, & Academia Censor.	M. Petrus-Josephus MACQUER, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, in Horto Chymici Pro- fessor, & Censor Regius.
M. Joannes-Augustinus COUTA- VOZ.	M. Bertrandus DELVY.	M. Josephus-Maria-Franciscus LASSONE, Regis ab omnibus consiliis, Archiatrorum Co- mes designatus, Serenissimæ Reginæ Medicus primarius ; & Regiæ Scientiarum Academiæ, Universitatis Medicinæ Mons- pelienfis Doctor aggregatus & honorarius, Regius Librorum Censor, &c.

Proponebat Parisiis PETRUS PUJO , Parisinus , Nosocomiorum Militarium , Regis
Exercituum in Normandia Medicus, necnon Saluberr. Facultatis Medicinæ Parisiensis
Baccalaureus, A. R. S. H. 1780. AB HORA OCTAVA AD MERIDIEM.

Typic QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi 1780.